



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum definitio consanguinitatis sit competens? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

tis præcipue, exigitur: si autem sine consensu eius ordinatur, non videtur ad hoc teneri.

Ad quintum dicendum, quod matrimonium habet pro causa nostrum consensum, non autem ordo, sed habet causam sacramentalem determinatam à Deo. Et ideo matrimonium potest impediri ex ordine precedente, quod non sit verum matrimonium; non autem ordo ex matrimonio quod non sit verus ordo: quia sacramentorum virtus est immutabilis, sed actus humani possunt impediri.

QVÆST. LIV.

De impedimento consanguinitatis, in quatuor articulos diuisa.

D Eince, considerandum est de impedimento consanguinitatis.

¶ Circa quod quærentur quatuor.

¶ Primo, utrum consanguinitas conuenienter à quibusdam definiatur?

¶ Secundo, utrum conuenienter distinguatur per gradus & lineas?

¶ Tertio, utrum de iure naturali matrimonium impediat secundum aliquos gradus?

¶ Quarto, utrum gradus impediens matrimonium possint per statutum Ecclesie determinari?

ARTIC. I.

Utrum definitio consanguinitatis sit competens?

216

Tho. 4. d.

40. q. vni

ca, ar. 1.

¶ seq.

A D primum sic proceditur. Videtur, quod definitio consanguinitatis, quam quidam ponunt sit incompetens, scilicet, Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendendum, carnali propagatione contractum. Omnes enim homines ab eodem stipite, carnali propagatione descendunt, scilicet ab Adam. Si ergo recta esset prædicta definitio consanguinitatis, omnes homines essent ad inuicem consanguinei: quod falsum est.

¶ 2 Præterea, Vinculum non potest esse nisi inter quorum ad inuicem conuenientium: quia vinculum vnit. Sed eorum qui descendunt ab vno stipite, non

est maior convenientia ad inuicem, quā aliorum hominum: cum conueniant specie, & differant numero, sicut & alij homines. Ergo consanguinitas non est aliquod vinculum.

¶ 3 Præterea, Carnalis propagatio secundum Philosophum fit de superfluo alimenti. Sed tale superfluum magis habet convenientiam cum rebus comestis, cum quibus in substantia conuenit, quā cum eo qui comedit. Cū ergo non nascatur aliquod vinculum consanguinitatis eius qui ex semine nascitur, ad res comestas; nec ad generantem ex carnali propagatione nascetur aliquod propinquitatis vinculum.

¶ 4 Præterea, Gene. 29. Laban dixit ad Iacob, Os meum es & caro mea; ratione cognationis quæ est inter eos. Ergo talis propinquitas magis debet dici carnalitas, quā consanguinitas.

¶ 5 Præterea, Carnalis propagatio est communis hominibus & animalibus. Sed in animalibus non contrahitur ex carnali propagatione consanguinitatis vinculum. Ergo nec in hominibus.

RESPONDEO dicendum, quod secundum Philosophum, Ethic. * Omnis amicitia in aliqua communicatione consistit: & quia amicitia, ligatio siue vnio quedam est, ideò communicatio, quæ est amicitie causa, vinculum dicitur: & ideò secundum quamlibet communicationem denominantur aliqui quasi collegati ad inuicem: sicut dicuntur conciuues, qui habent politicam communicationem ad inuicem; & cohortationes, qui conueniunt in militari negotio. Et eodem modo illi, qui conueniunt in naturali communicatione, dicuntur consanguinei. Et ideò in prædicta definitione ponitur quasi consanguinitatis genus, vinculum; quasi subiectum, personæ descendentes ab eadem stirpe, quarum est huiusmodi vinculum; quasi principium, carnalis propagatio.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus actiua recipitur secundum eandem perfectionem in instrumento, secundum quam est in principali agente.

Et quia

* lib. 8. c.
11. & 12

& quia omne motum mouens est instrumentum, inde est quod virtus primi motoris in aliquo genere per multa media deducta, tandem deficit, & peruenit ad aliquid, quod est motum & non mouens. Virtus autem generantis mouet non solum quantum ad id quod est speciei, sed etiam quantum ad id quod est indiuidui, ratione cuius filius assimilatur patri etiam in accidentalibus, & non solum in natura speciei. Nec tamen ista indiuidualis virtus patris ita perfecte in filio est, sicut erat in patre, & adhuc in nepote minus: & sic deinceps debilitatur. Et inde est, quod virtus illa quandoque deficit, vt ultra procedere non possit. Et quia consanguinitas est, in quantum multi communicant in tali virtute, ex vno in multos per propagationem deducta, paulatim se consanguinitas dirimit, vt Isidorus † dicit. Et ideo non oportet accipere stipitem remotum in definitione consanguinitatis, sed propinquum, cuius virtus adhuc maneat in illis qui ex eo propagantur.

† refertur
32. q. 4. c.
de consanguini-
tatis.
* in corp.
ar. & re-
spon. ad
1.

Ad secundum dicendum, quod iam patet ex dictis, quod non solum conueniunt consanguinei in natura speciei, sed etiam in virtute propria ipsius indiuidui ex vno in multos traducta: ex qua contingit quandoque, quod filius assimilatur non solum patri, sed auo vel remotis parentibus, vt dicitur libro 8. de Animalibus.

Ad tertium dicendum, quod conuenientia magis attenditur secundum formam, secundum quam aliquid est actu; quam secundum materiam, secundum quam est in potentia. Quod patet in hoc, quod carbo magis conuenit cum igne, quam cum arbore, vnde abscissum est lignum. Et similiter alimentum iam conuersum in substantiam aliti, per virtutem nutritiuam, magis conuenit cum ipso nutrito, quam cum illa re, vnde sumptum est nutrimentum. Ratio autem procederet secundum opinionem illorum, qui dicebant, quod tota natura rei est materia, & quod formae communes sunt accidentia; quod falsum est.

Ad quartum dicendum, quod illud quod proxime conuertitur in semen, est sanguis: ut probatur in 15. de Animalibus. Et propter hoc, vinculum quod ex propagatione carnali contrahitur carnaliter, conuenientius dicitur consanguinitas, quam carnalitas: & quod aliquando vnus consanguineus dicitur esse caro alterius, hoc est in quantum sanguis, qui in semen viri, aut in menstruum conuertitur, est potentia caro, & os.

Ad quintum dicendum, quod quidam dicunt quod idem consanguinitatis vinculum contrahitur inter homines ex carnali propagatione, & tamen non inter alia animalia: quia quicquid est de veritate humane nature in omnibus hominibus, fuit in primo parente: quod non est de alijs animalibus: sed secundum hoc consanguinitas matrimonij numquam dirimi posset. Prædicta autem positio in 2. lib. dist. 20. * improba est. Vnde dicendum, quod hoc idem contingit: quia animalia non coniunguntur ad amicitiam vnitate propter propagationem multorum ex vno patre proximo, sicut est de hominibus, ut dictum est.

li 2. sent. d. 20.

in corp. art.

ARTIC. II.

Utrum consanguinitas conuenienter distinguatur per gradus & lineas?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod consanguinitas inconuenienter distinguatur per lineas & gradus. Dicitur enim linea consanguinitatis sic ordinata collectio personarum, consanguinitate coniunctarum ab eodem stipite descendentium, & quoslibet continens gradus. Sed nihil est aliud consanguinitas, quam collectio talium personarum. Ergo linea consanguinitatis est idem quod consanguinitas. Nihil autem debet distingui per seipsum. Ergo consanguinitas non conuenienter per lineas distinguitur.

Præterea, Illud, secundum quod diuiditur in aliquid commune, non potest poni in definitione communi.

217

l. iurisco- sultus, ff. de gradi- bus affin. c. ad sede 35. q. 5.